



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsqve Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

De Sex indiciis vitæ spiritualis. Cap. iij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](#)

Psal. 18.  
13.

telligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis  
parce seruo tuus, quoniam ipsa, quæ nescimus, nos  
sepe maculant, nisi Deus, qui occulorum est conditor,  
quæ sibi dispergit, occulta deterget.

## De sex indicis vita spiritualis.

## CAPUT III.

**L**ICET hoc ita sit, de gratia, ac vita spirituali animæ, nos omnino certos esse non posse, ea nimis certitudine, quæ aut evidens sit, ut scientia, vel ut fides diuinus indita nullam falsitatem admettatur: Non tamen sine testimonio reliquit amicos suos Deus, quibus declararet erga illos diuitias misericordia sua, ipsosque vitam spirituali habere sufficienter ostenderet. Sicut enim mulier illa à Iohanne in Apocalypsi conspecta, quæ sine dubio representabat Ecclesiam, erat amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: Ita gratia huius Ecclesiae vita, & veræ regina, origoque virtutum, non solum est diuina, quodam splendore circundata, & inconstantia humani cordis prælata, sed etiam duodecim coronata signis tamquam duodecim fulgentissimis gemmis, quorum lumine se homini ostentat, & an intus lateat in animo probabili quadam attestatione commóstratur. Liceat ergo nobis pro cōsolatione iustorum, & in gloriam huius præstantissime vitæ, qua viuimus, si forte viuimus, & qua viuunt, quotquot iusti viuunt, tantisper immorari, & harum gemmarum ostendere pulchritudinem, sive horum signorum vim, & naturam exponere: ex quibus, an quis Deo viuat, an vero mortuus sit, possit capere coniecturam. Nec vero a proposito egredimur, dum ista indicia declaramus, quoniam, & gratia sunt, ac vita spiritualis effectus, & magnopere roboretur nos, ut hoc præstantissimum donum, quod nobis inesse ex huiusmodi indicis concietatur, toto conatu atque diligentia seruemus. Meditabamur sanè, gratiam, quæ nos Deo gratos facit, Rationali summi sacerdotis sūisse signatum, neque hoc omnino dissidet à patrum sententiæ. Si enim rationale (vt putat Gregorius) munditiam cogitationum significat, quid prohibet ipsam munditiam, ac totius animæ nostra puritatem in illo intelligere, quæ minime ab ipsa gratia, & animæ vita secernitur. Optima quidem gratia, & vitæ spiritualis imago. Nam rationale, licet parvum, ceteris tamen (vt inquit Hieronymus) sacrati vestimentum, duplex erat, in mensuram palmi, ex auro & quatuor coloribus, hyacinto, & purpura, cocoque <sup>binetum</sup>, & bysso retorta cōtextum, atque à superhumerali depedatis, pectus sacerdotis, sedem scilicet cordis, operiebat, & exornabat. Nomina doctrina, & veritatis (vt inquit Augustinus, & Hugo Victorinus) in ipsa texture habebat descripta, & duodecim pretiosissimis gemmis, quatuor ordinibus dispositis ornabatur, quæ & duodecim Patriarcharum nomina præferabant, & eminus positis rationalis pulchritudinem ostendebant: Per quatuor annulos, quos habebat in angulis, superhumerali vita hyacinthina copulabatur, & ne diffueret iungebatur.

O pulcherrima gratia imago, o præclarissima vita spiritualis significatio! Gratia namque vestis sacerdotalis est, illorum nimis sacerdotum, ad quos loquebatur Petrus, dicens: Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Quibus enim illæ laudes cōueniunt, nisi iusti,

Apoc. 12.

13.

Gregor. in  
psal. 2. p.  
c. 2.Exod. 28.  
15.  
Hierony.Augu. 99.  
in Exod.  
9.Hugo an-  
non. in Exo-  
dum.2. Petr. 2.  
9.

A & amicis Dei. Hi electi sunt, quia ad æternam hæreditatem vocati, reges, & sacerdotes sūt, qui propriis affectibus imperant, & Deo se totos in odorem suavitatis offerunt. Sancti sunt, quoniam mundi, & immaculati per gratiam, & populus acquisitionis, quia magno sanguinis Christi prelio redempti. Gratia quoque modica est, quod ad externam speciem attinet, sed magna virtute. Nam sicut granum sinapis, minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus: Ita hoc donum præstantissimum, parvulum est, id est, amore humiliatis exiguum, sed cum crescit, & se in virtutes, ac bona actiones dilatat, omnibus donis naturalibus inuenitur superius. Duplex etiam est, quia beneficio virtutum ab ipsa permanant, internas animæ vires moderatur, & corporis sēlus, actionesque dispunit. In mensuram palmi distenditur, quod (ut notat Beda) distensione manus, & digitorum conficitur, quia ad sui conuersationem, & augmentum, non animum oscitantem, & tepiditatem contractum, sed conatum infatigabilem, ac diligētiām pīe intentionis requirit. Quare autem ex auro, & quatuor coloribus texitur? Nisi quia auri charitatis, ac quatuor virtutū moralium infusarum, prudentiæ, iustitiae, fortitudinis, & temperantiae, est ipsa principium! Et quam ob causam à superhumerali pendet, quod bonorum operum labore designat, nisi quia bonis operibus conservatur, & sine viuorū periculo casus exponitur. Sedem cordis, id est, vitæ naturalis domiciliū tegit, quoniam hæc vita spiritualis, vitæ ipsam naturalē, scilicet animam nostram informat. Vrim, & Thummim, hoc est, doctrina, & veritate depingitur, quia divini luminis claritate, & omnī virtutum perfectione decoratur. In hoc igitur mystico rationali, quod animam nostram exornat, & idoneam reddit, ut ante diuinum conspectum appareat, duodecim signa probabilia, quibus mens nostra, an grata sit Deo, & vitam spirituale possideat, valeat vtcumque cognoscere.

Primum lignum est, contritio vera, & efficax detestatio preteritorum peccatorum, cum scilicet terra cordis nostri abudantissimo imbre lachrymarum irrigatur, & amatissimis fletibus absorbetur. Sicut enim naturalis aqua fortes corporis lauit, ita aqua lachrymarum maculas mentis emundat, & iniquitatum nostrarum feciditatem astringit. Et quemadmodum ignis inundatione aquarum extinguitur, ita & peccatum lachrymis cōtritionis interit. Vnde Chrysostomus. Rogum peccatorum extingimus, non iam aquis multis, sed parvus cum lachrymis, multus enim peccati ignis, atq; modica extinguit eum lachryma, nā lachryma, fratres, rogum extinguit peccatorum. Si itaque hoc odium peccatorum habes, hunc dolorem experiris, hoc imbre largissimo lachrymarum cor tuum irrigari animaduertis, non temerari opinaris te à peccatis eratum, & gratiam, ac vitam anima sūisse consequutum. Est namque contritio illud labrum, encum, de speculis mulierum fabrefactū, & in introitu vitæ spiritualis collocatum, in quo est aqua doloris, ac lachrymarum, qua muleris, & speculum, id est, indicium aliquod, in quo tuam mundiam aspicias.

Secundum signum est, stabilis, ac firma voluntas non perpetrandi aliud graue peccatum, etiam si quis timeat, aut propriæ vitæ, aut omnium rerū creaturarum iacturam. Sienim (vt inquit Iohannes Apostolus) omnis, qui in Christo manet, non peccat. Non solū ex eo quod vitat omne peccatum exteriorum, verū etiā quia non admittit, quatenus in Deo manet, peccandi voluntat, qui huius particeps est firmissime voluntatis

Matt. 13.  
31.Beda in  
Exod. ca.  
28.Chrys. ho.  
5. de pa-  
nit.Exod. 39.  
8.1. Iohann.  
3. 6.

magnam habet sue mansionis in Deo, atque adeo vita spiritualis conieaturam. Hæc sane voluntas, non est hostis, sed seru fidelis. Nam hostis, iniuriam & mortem exoptat eorum, quos sibi infestos, & inimicos existimat; seruus autem fidelis illi obsequi cupit, quem dominum, atque herum agnoscit. Vnde si tu, hoc desiderium es adeptus famulandi Domino, & numquama transgrediendi diuina mandata, inter fidèles Domini seruos computandus videris.

Tertium signum est, multo tempore crimen non cōmisſe, neq; graue peccatum perpetratte. Nam (vt inquit Gregorius) peccatum, quod citè p̄tentia non tergitur, iusto Dei iudicio ad aliud trahit. Qui ergo multis annis, quantum sibi conscius est, ad peccatum graue non trahitur, ad credendū, quod non sit peccatis lethalibus mortu⁹, sed Deo viuat, probabili existimatione ducitur. Sicut enim corpus mortu⁹, & anima destitutum, non potest non fovere, & indicia absentia animæ, ac priuationis vita mortuare ita nō potest anima Deo mortua, nō signa suę spiritualis mortis ostendere, & multo tēpore factorem noui alicuius peccati non emittere. Vnde iubete Domino tollere lapidem, quo corpus Lazarī defuncti tegebatur, respōdit Martha soror defūcti: Domine, sā fetet, quāriduanus est enim. Hac response prudenter innuens, quod verum est, non posse videlicet anima Deo mortuam per absentiam gratiæ, quam Lazarus mortuus designabat, pulchritudinem iutorū, & viuentū habere, & tētum, ac graue odorem noui criminis non exhalare. Hunc graue odorem in se nō sentiēs, quidni p̄te credit se iam vocem Domini potentissimā audiuisse; Lazare, veni foras? Quia nouā vitam a Christo profecto donata, acquisiuit, & fauces spiritualis mortis, qua vincit tenebatur, effugit?

Quartu signum est Diuinæ legis obseruatio, & omnium diuinorū mandatorū impletio. De iusto quippe dictum est: sed in lege Domini voluntas eius. Et qui habet mādatā mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et tursus si quis diligit me, sermonē meū seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eū veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ex hoc sanctus Rex Ezechias Deo se gratum esse coniectabatur. Obfecro (ait Domine, memento quoſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est corā te fecerim. Quā orationem, nō de superbia Pharisæa, sed ex animo grato, ac demissō processisse, Domini responsio manifestat. Audiui orationem tuam, & vidi lachrymā tuam, & ecce sanau te, die tertio ascendas in tē plū Domini. Ex eadem quoque coniectura Bernardus vult, vt nos gratiā ipse adeptos agnoscamus. Et tu ergo (inquit) si iam resurgis desiderio supernorum grabatum tollis, corpus scilicet à terrenis eleuans voluptatibus, vt iam non feratur anima cōcupiscentiæ eius, sed magis ipsa (vt dignū est, regat illud, & ferat, quod non vult, si demum ambulas, quæ retro sunt obliniscens, & ad ea quæ ante sunt, te extendis desiderio, & proposito proficiendi, curatū te esse non dubites. Neque enim surgere poteras, si nō aliquatenus onus eset alleuiatum, & nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis, quia neque ambulare seruore devotionis, ac conuersationis cum peccatorum graui mole possibile est.) Sic ille, & quidem sapienter. Omnes namq; causas per suos effectus, aut manifeste cognoscimus si ab illis constet procedere, aut si non ita perspicue constet, saltem probabili ratione coniectamur. Sic ignem ex fumo, hominem ex loquela, & solem ex splendore cognoscimus, & ex visu cognoscitur vir, & ab oculis faciei cognoscitur

A sensatus. ] Hæc autem à Bernardo numerata, licet possint ab alio, quā à gratia gratos faciente procedere, nimirum ab aliquo auxilio speciali Dei, saepe solent ab ipsa gratia, & Dei amicitia emanare. Bene igitur ex illis, si non euidenter, at vero similiter gratiam nobis iam inesse existimamus.

Quintum signum est, Lux quedam cælestis mentes iutorum illustrans, quæ sacerduli vanissimam vanitatem agnoscant, cœlestia mysteria contemplentur, & quid in singulis negotiis agendum sit, quidque omittendum, facile animaduertant. Hoc regius propheta insinuauit, dicens, Accedit ad Deum, & illuminamini, id est, illuminabimini. Accedimus ad Deum (vt notat Augustinus) duobus pedibus, nimirum, charitate Dei, & dilectione proximi, & statim, quia ad verum solēm iustitiae appropinquauimus, illuminamur claritate Dei, illa quidem claritate, quæ intellectum suauiter docens, affectum ad desperationem sacerduli, ad amorem Dei, & ad studium bonorum operum, potenter exsuscitat. Confirmat hoc Laurentius Iustinianus, cuius hac est oratio. Est namque gratia gratum faciens, quadam matutina stella præfulgida, quæ electorum quemque praedens corde ducit ad Christum. Absque hac procul-dubio humanus prostituitur animus, & sui numquā iuris et compos, numquam amator sapientiæ, neque fidelis in Domino. Per hanc vero rationalem mes efficit sapientis, de celestibus eruditur, & fide imbutur, quia ad Christum in veritate pergentibus prosus necessaria fore noscuntur. Optimè gratia comparatur lumini, non quia sine illa medio intellectum substantiam afficit, sed idem lucini comparata est, quia secum afferit lucem quandam diuinam, dona scilicet Spiritus sancti, sapientiam, intellectum, consilium, & scientiam: quibus mens iusti mirabiliter illustratur, & de rebus agendis efficaciter eruditur. Qui autem hanc lucem mirabilem sibi additam esse coiiciunt, neque imprudenter, neque præsumptuose, gratiam, huius lucis fontem iam in cor suum deriuatam esse putant.

Sextum signum est, charitas, quia ferventissime Deum amamus, ei per omnia placere cupimus, & proximos, præfertim inimicos, & nobis infestos diligimus. Discutiant ergo se fideliū mentes (inquit Leo Papa) & intimos sui cordis affectus, vera examinatione diuident, vt si depositum aliquid in conscientiis suis de fructibus charitatis inuenient, Deum sibi inesse non dubitent, & vt magis, magisque tanti hospitiis sint capaces, fiant perseveranter in misericordiæ operibus ampliores. ] Dubitationis autem exclusio, quam Leo à fideliis postulat, cum in se fructus charitatis inuenient, & Bernardus supra postulauit, cum alacriter onus diuinæ legi portant, non infallibilem petit assensem, sed humana quamdam opinionem, & probabili persuasioni subinxam. Et Origenes ait: tunc nos testimonium habere, quod sumus filii Dei, cum à spiritu seruitur in adoptionis spiritum venerimus, cum iam nihil inest timoris, id est, nihil propter peccatum gerimus, sed propter amorem patris cuncta perficiimus. Ecce sex

gemmas pretiosissimas, hoc est, sex indicia gratiæ nobilissima, quæ à mystico rationali dependent, & ipsum incredibili decore cohonestant. Sed ad alia, quæ super sunt, transseamus.

Greg. bo-  
mil. in E-  
zech.

Ioan. 11.  
39.

Psa. 1.2.  
1 Sam. 14  
11.  
vidē. 23.

4 Reg. 20.  
5.

Bern. ser.  
de qua-  
tuor modis  
orandi.

Eclo. 19.  
36.

Ps. 33.6.

August.

Lau. Luf.  
ser. de Ep̄  
planaria.

Len. ser. 2.  
inf. 2.  
Papæ.

Orig. lib.  
7. in epist.  
ad Rom.  
ad c. 8.

De